

Appendix. — Europa Nro. 64.

Regnum Mortuorum.

Litterae familiares inter Vivos et Mortuos.

Elis Schröderheim ex regno mortuorum ad quemdam amicum suum in Mundo.

Elysium — Meum 26. Julii 1808.

Antequam de praesenti patriae nostrae statu loquar, volo me et te cum principiis unius moralistae Germanici distrahere, — Cum moderatione, et patientia. Moderatio et patientia sunt duae necessariae, et pretiosae proprietates Animae; haec leniunt mœstitiam et dolores, quos defectus, et fatalitates vitae causant. Sunt mala, quae nulla providentia, aut prudentia avertere; non intellectus, non vis, si nobis occurrant, sistere; quaeve ex propria nostra imperfectione provesiunt, et quae maxima virtus plene avertere non potest, quia prima quaeque virtus suas habet fragilitates, et defectus. Contra haec mala muniunt nos *moderatio, et patientia*, ne illa, dum nobis a longe imminet, abjecte metuamus, aut metuendo majus eis adparens pondus addamus; et si nos obruant, indignationem nostram sub eorum pondere temperemus, et sensui afflictionis internae majorem sensum contrarium solatii opponere valeamus. Moderatio ab naturali severitate tantum differt, quantum a fanaticâ insensibilitate Stoicorum; *est illa fructus sapientiae, et dominatus nostri super passionibus nostris*. Non potest cordi esse indifferens, defectum, aut dolorem pati, et nisus ejus ad beatitudinem jubet, haec a se amoliri; sed cor moderatum accipit nutrimentum moderationis suae ex prudentia, et ex cognitione interna veri boni, et veri mali; fulcit se contemplatione obligationis, nos nempe teneri onera, quae a natura nostra inseparabilia sunt, ferre, cum non angeli, sed homines simus. Si non culpa nostra nos premant, solamur nos illa cogitatione; quod sublimior potentia ita ordinaverit, aut pro bono nostro admittat. Si sit triste onus, quod errore aut vitio nos ipsi nobis imposuimus; tunc moderatio minuit justam indignationem contra nosmet ipsos, per prudentem poenitentiam de peccatis nostris, et ducit nos ad majorem providentiam et moderamen pro futuro. Removet mœstitiam et desperationem a nobis per illud, quod nos animet, quod ipsa mala facta

nostro eausata per sapientiam in fortunam, et dolorem in patientiam, atque spem in ope Divinae Providentiae convertat. Multae calamitates a nobis removeri, aut minui possunt, si quietem animi ad media exquirenda, et constantiam ad haec debite applicanda habeamus. Moderatio dat nobis hanc animi tranquillitatem, et fortitudinem; ac per id nos a multis malis praeservat, aut frangit vim eorum naturalem. Mula mala accipiunt vim suam, quae nos deprimunt, ab imaginatione. Moderatio, velut fructus sapientiae, adimit malis praesentibus ingrati illam, quae nos terret, formam, in quam ea imaginatio involvit, removetque immaturam pusillanimitatem. Carentiam thesaurorum, quibus sapienter uti possemus, moderatio nos malum esse docet; sed thesauros contempnere, quia ad felicitatem nostram necessarij non sunt, est quies, et magnitudo animi. Optimi mortuorum debuerant hinc carere, et contenti erant paucis; Si habuisti, et citra culpam tuam perdidisti, satis hoc consolationis esto: multitudo eorum forte praefocasset bonitatem cordis tui, et malos in te excitasset affectus. Si desint tibi commoditates vitae, quibus ante gaudebas, et te non corruerunt; puta: necessitates virgæ nulli unquam denegat providentia. Spem hanc sentis in te? consolatio satis!

Moderatio, hic sapientiae fructus, ingrati calamitatis sensationem deprimit grata impressione contraria majoris boni. Non consequi honorem, quem quis meruit; bonam existimationem; quam quis meritis comparavit, per calumniam, et astu hominum amittere; Contemptui, et ludibrio hominum exponi, dum ante omnium existimatione quis gavisus erat, est profecto fatum triste! sed quantum acerbitatis ei adimere potest patientia, et moderamen! dicit haec ad infelicem: Tu quidem multum perdidisti, ast duntaxat bonum externum; fucum scilicet, et echo, nequaquam vero sensum hororis; qui ex anima tua lequiter. Tu es adhuc bonus, quia secundum obligationem tuam agere volebas, etiamsi totus mundus aliter de te cogitet. Approbatio hominum non auget veram tuam animi dignitatem, sicut vituperatio eam non minuit. Stas in sursumitate obligationis, et ecce lassa tela, quae de valle calumniarum contra te jactantur, decidunt ad pedes tuos, conculca illa recto corde, et eluctare per illa adhuc altius; Rectis hominibus tua merita, tua innocentia non manebunt occulta, et oculus Dei ab alto videt et judicat merita tua, etiamsi in hac acrumnarum valle ea non observentur. Excellentissimi, et optimi homines contempserunt adprobationem stultorum, et maximae animae audiverunt calumnias fatuorum, et tamen placida mente persecuti erant viam boni,

et rec
conte
animi
non n
etate
tes o
tis. B
et nol
sione
et vit
fiction
manu
moder
servat
versita
esse si
gnitud
querul
per sa

sum q
rid, bu
7. Jun
compa
versus
vix ev
tia Sv
torment
datis a
pet. Si
stros i
ris dur
parim
acti, h
hostis
de qu
A
nostri
trajice
portio
nobis g
30000
et amp
torrent
riculo
Hafnie
tus era
qui vol

et recti. Vade et tu hanc viam, gaude, te recte fecisse, et contemne non promeritam calumniam; hoc est magnitudo animi! An tu abjectus ille esse velles, qui honorem, quem non meruit, habet, illum abjecte quaerit, et turpi cum anxietate conservare studet? Hoc est crimen! Qua ratione potes omnem hominum metum vincere? Metu Omnipotentis. Bona itaque esto animo, obligatio tua sit clypeus tuus, et noli calumniatori, cavillatori, et contemptori cum aversione occurrere, sed evita illum provide, fatigato bonitate, et vitae ratione confondere stude. Ignosce illi propter afflictiones, quas tibi causat, et si te non secus, quam per manum Justitiae defendere potes, quaere jus tuum cum moderamine, et sine amaritudine contra laedentem. Ita conservat nos moderatio etiam sub pondere maximarum adversitatum constantes. Verum quidem est, eam non semper esse sibi aequalem, sed mox recolliget illa vires, quas magnitudo adversitatis eidem ademit; nunquam tamen aut querulatur, aut furit, sed temperat justissimas querelas per sapientiam, et virtutem.

His praemissis, Amice! his moralibus principiis possum quietum reddere animum circa ea, quae in Ephemericibus Petropolitani de 2. Julii lego; quae haec habent: 7. Junii hora 6 vespertina Svecicae naves secundis ventis comparuerunt ad *Ivertemo*, non procul ab *Abo* meridiem versus, quod tanta cum celeritate factum est, ut Cosaci vix evadere, nunciumque in urbem deferre potuerint. Militia Svecica, quae excedit, erat ultra 7000 cum aliquot tormentis sub Generale *Vegesak*, qui ab Rege id in mandatis accepit, ut urbem *Abo*, quancumque veniat, occupet. Svecici Ducis exemplo animati, leonum instar in nostros irruerant, enataque est pertinax pugna, quae 18. horis duravit, infausto pro Svecis exitu, qui suorum ultra 1000 partim caesis, partim laesis, partim captis loco cedere coacti, Russorum quoque 300 amissis. Eodem die excedit hostis etiam ad pagum *Ingo*, sed et hic recedere coactus, de quo relatio officiosa haec habet:

Amice! concipere non possum; quomodo Patriotae nostri cum exiguo paucorum millium manipulo in Finliam trajicere, provinciamque hanc occupare velle potuerint. Proportio nostra relate ad Russiam talis est, ut ipsa natura nobis gustum ad renitendum adimere deberet. Etiam si nos 30000 in Finlandiam mittere possemus, annon Russi 60000 et amplius mittere posset? Cur ergo contra ingentem hunc torrentem nitimur? Quare manipulum Svecorum aperto periculo in Finnia exponimus? Etsi adhuc legamus relationem Hafniensem, quae habet: Classis anglica, cujus scopus ignotus erat, Gottenburgo discessit; quorsum? Non constat; aliqui volunt, via brevissima in Angliam. An porro adhuc in-

felix nostra patria fidet Anglis? si necdum ad saniora pacis consilia inclinēt — triste! Etiam tentamen norvegicum, quod aequè male cessit, sanguine 3.00 Svecorum inscriptum est Annaibus Svecicis.

Ex Germania, et quidem regionibus Maeni scribitur; a'venisse illic multa impedimenta, notanter equos Magni Ducis Montani, qui versus Neapolim tendunt, Argumento non vano, quod jam multi ante augurabantur; eundem Regem Neapolis futurum. — Fama percrebuit; Regem Sveciae pacis propositionem apud Russorum Imperatorem fecisse; Russiam vèro munus Intermediatoris inter Galliam, et Sveciam assumpsisse; quodsi verum sit, et desideratus effectus, quod nec dubitandum, sequatur, non tam facile penetrabunt dehinc Angli in mare balticum. — Rex Sveciae Generalem Anglicum *Moore*, quod Anglia fidem pacti frerit, obsidem retinuisse dicitur.

Militiae nationalis organisatio in Austria miro cum successu progreditur; imo etiam in pueris spiritus quidam spartanicus propagatur, quos in centurias formatos in plateis, locisque publicis, deposita omni aetati ingenua levitate, martiali cum severitate, in evolutionibus militaribus semet exercentes videas. Nos quidem bellum metuendum non habemus, sed cum omnes nationes se se arment, anq̄ sola Austria, velut media inter Galliam et Russiam potentia, in sinu Abrahæ quiescet? Amatus noster Imperator Franciscus sequitur notum illud: *Si vis pacem, para bellum.*

Copiae anglicae, quae pro defensione Siciliae destinatae sunt, successive inde disparent, novissime enim iterum tria regimina ad oras hispanicas discesserunt. Exercitus contra Neapolitanus formatur secundum novam conscriptionem; et constituet 21,000, cui accedunt 50,000 Gallorum; facile igitur Sicilia ex improvise opprimi potest, praesertim cum in littoribus Neapolitanis ultra 80 naves armatas ad quaevis praeparatas adesse certum sit.

Biographia.

Schröderheim Regis Sveciae Status Secretarius, Regi Capitaneus, Ordinis Sellaë polaris Commendator, Unus ex 18 Commembris Academiae Svecicae; Natus Holmiae 16. Martii 1747 et obiit 30 Augusti 1795; erat unus ex primis familiaribus Regis Gustavi III. Erat vir multae scientiae, et suburae, et in arte cumprimis oratoria excelluit, quod testantur sermones ipsius; quos in diversis Accademis, et socetatibus, quarum commembrum fuerat, habuit.